

24.

C. D.

INCLYTA  
SELIGMANNORUM  
FAMILIA

*Summè Reverendi*

DN. GOTTLÖB-FRI-  
DERICI

discessu consternatâ,

in

ILLUSTRIS FRATRIS

DN. CASPARI CHRI-  
STIANI

Regii, *apud Viennenses*, Legati,

jam lugentis animam,

ipse lugens at solatii cupidus,

sese penetrare voluit

TANTORUM NOMINUM

observantissimus

JO. CHRISTIAN MEYERUS.

M DCCVIII.

Zittaviæ typis Michaelis Hartmanni.



N Amicorum luctu, multum præstare possunt amici: sed aliquando parum. Propius quidem ipsi norunt, quibus argumentis nutriri soleat luctus: sed in eo deficiunt, quod a lugente simul requirunt solatia. Sic in hoc pietatis officio, quid dolori prodesse queat, video; quid mihi penitus satisfiat, per intimorem amoris debilitatem ignoro. Dabis igitur hanc veniam, ut animum liceat explorare Tuum, donec meis quoque cogitationibus aurem præbeas.

Nuncio nimium funesto perculsus es. Licet enim copiosa prostent fratrum exempla, qui, quoniam mori simul non possunt, ordinis aliquod beneficium vel recipiunt, vel deplorant: varia tamen occurunt, quae plebejis ingenii nunquam innotescere solent. Fratrem habuisti non geminum, sed in diversa quidem statione Tui simillimum, ac alterum Temet ipsum. Quibus consiliis Ecclesiam ipse curare potuisset, cum Tu politiam curare non desinas, nemo Te melius assequitur. Reliquisti valentem, commodis addictum publicis: nunc literæ monstrant jacentem, suisque negotiis exsolutum. Frigebunt epistolarum calidissima commercia, nec intercedet scriptum, quod fastidiis undique subnascentibus, levamentum apportet. Ipsæ pretices negotiorum tuorum comites, ne simul abierint timebis. Nec in affectus dominium valet adeo liberum, quod minus in casu tam subitaneo pia quædam dolendi vel

vel lacrymanti recipiatur servitus. Ipsa condolentium certamina lugendi causas non minuant sed augent: qvod forte vel nesciveras, vel non cogitaveras, quam pretiosus hic Frater esset, Personis etiam illustribus: qui nunc in justis officiis, vel ad miraculum, sunt prompti. Et forte qui reficare tot vulnera sum ausus, nova quædam videor animi tui calamitas.

Sed hanc mihi facies gratiam, ut, quid ego loqui soleam, libenter audias. Amisi commilitonem quondam meum, & in ordine scholastico proximum velut contubernalem. Haec amandi simplicitas, quid utrinque posset, annis maturioribus eluxit. Sane nihil mihi fuit jucundius, quam quod in clarioribus dignitatum augmentis, ea simul adolesceret recordatio; vel ut nunc intelligo, major lugendi necessitas imponeretur. Interim si quid a Fratre nunc denegari videtur: ut jaeturam hanc resarciat alter idem, invicta iustitiae lex requirit. Symmachum saepe laudatum adhuc audies: Amicitia quæ vera fuit, desinere non potest. Per te nunc stabit, quantum desinere non debeat tenerior hic sensus. Id vero quam facillime succedit, si neglectis fortunæ temptationibus ingrediaris in temet ipsum. Regiis negotiis semel consecrasti, vitam, menses, dies, ipsa momenta. Quibus invigilare non potes, nisi penitus eliminetur otiosa mœroris voluptas. Sublimiora sunt, quæ cogitationibus commitmentuntur, ut, quicquid infra te positum est, aversis semper oculis non contemnas, sed commodiori velut tempori libentissime reserves. Cogita quot epistolæ jam occupatum obruant; quot Procerum colloquia certas sibi destinari horas cupiant; in quas curas te vocare Patria soleat, quæ, qualemcumque tuam præsentiam, suis etiam rebus exoptat: inde quod post eos conatus tibi fuerit vacuum, dolores sibi vindicent, in ab-

abditō pectoris angulo delitescentes. Destinatum  
tibi spatiū est, qvo cum DEO loqvaris, qvo morta-  
litatē tuam, ac singulas vitæ vicissitudines, ejusdem  
benignitati commendes. Talia vero dum facis, ad  
genuinum solatii fontem progressus, cur in decretis  
adeo paternis acqviescas, dubitare nequās. Ita qvi  
moralem philosophiam sibi fatentur difficultem, chri-  
stianæ philosophiæ remediis multo facilioribus acqvi-  
fient.

Audeo sollicitare conscientiam tuam. Interest  
multorum ut benè valeas, ut oneri semel recepto cer-  
vicem supponas, ut publicè profis. Cur itaq; dolo-  
rum occurrant imagines, qvæ Fratrem non restituent,  
sed eidem te citius adjungent. Ipse te qvidem expe-  
ctat: interim qvi nos amare non desinit, tanto cime-  
lio nos orbatos esse non cupit.

Qvamobrem ut solitam recipias fortitudinem, ac  
otium aliquando concessum libris ac studiis deberi  
credas, animo prorsus amico precor. Doloris aliqua  
parte defunctam fuisse Zittaviam quoq; nostram, e li-  
teris nostris intellexisti. Levior itaq; fuerit moles, qvæ  
tot succollantium humeris simul fuerit excepta. Tum  
vero precabamur, vellet Deus talentū tibi concessum,  
in hac vicissitudine fatorum, nobis reddere perpetuum.  
Vel si nunc amici scribentis affectum, more tuo, id est,  
liberaliter intueri dignaris, ut Meyerum & Fratris &  
tuo nomine complecti, geminamq; meam felicitatem  
hoc ipso confirmare velis, rogo. Sit Salus tua nostra  
salus: Seligmanniā langvinis propagatio, Patriæ  
prosperitas: tuisq; solatiis nostra simul profligetur  
adversitas. Uno verbo, ut patriam, ut tuos, ut

amicum aspicere tandem possis, te serva-  
re nunc studeas. Vale. Scrib. Zittavia,

d. 29. Jan. MDCCVIII.